



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

19 Ecclesia regularis polluta cujus sumptibus sit reconcilianda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

est consecranda ecclesia extra civitatem, & cum non brevi tempore consecratio fieri possit, ita quod, nec commode ad palatium Episcopale pro sumendo prandio Episcopus redire valeat, tunc prandium, aliaque victualia eundo, & redeundo ab iis, qui ejus ministerium requisiverunt, sumere potest, etiam quantumcunque ecclesia consecranda sit vicina Episcopatu, quia ista procuratio est annexa visitationi, &

17 consecrationi, † quæ præstat in signum superioritatis, & ut facilius Prælati inducantur ad visitandum, & consecrandum, gloss. in c. cum sit Romana, ubi etiam Abb. n. 2. de simo. Innoc. in cap. Romana, de cens. & Graff. decis. 15. n. mibi 10. par. 2. lib. 2. dummodò non obsit paupertas, quia casu, quo propter paupertatem procuratio subministrari non possit, tunc Episcopus propriis sumptibus Ecclesiam consecrare tenetur, ut tenet gloss. & Abb. in d. cap. cum sit Romana.

18 Frequenter etiam quæritur, † cujus expensis debeat Episcopus accedere ad ecclesiam pollutam reconciliandam, & omissis disputationibus, aut scitur quis violaverit, ecclesiam, & est solvendo, & tunc expensis illius, qui eam violavit, reconciliari debet, arg. text. in l. 1. ubi etiam Bart. ff. de eo, per qu. fac. erit, aut nescitur, vel non est solvendo, & tunc si ecclesia est parochialis, parochus solus, si juxta redditus id commode facere potest, nisi in contrarium sit statutum, aut vigeat consuetudo, vel parochus est pauper, & tunc sumptibus parochianorum, & in defectum omnium debet Episcopis suis expensis ecclesiam reconciliare, ut post Jo. Andr. & alios distinguit, & tenet Abb. in c. proposuisti, n. 2. de cons. eccl. vel altar.

19 Si vero ecclesia † est regularis sine cura animarum & ignoratur, quis ecclesiam polluerit, vel is non sit solvendo tunc, nec Episcopus, nec populus tenetur, cum regulares sint exempti à jurisdictione Episcoporum, neque ex obligatione sacramenta populo ministrare teneantur, & populus minime ad illa ab eis recipienda cogi possit, quia, uti exemptos ab onere sacramenta ministrandi, & ab ordinaria jurisdictione

20 contra ipsos procedit regula, † quod, qui sentit commodum, sentire debeat, & incommodum, & contra, cap. qui sentit, de reg. jur. in 6. Valde tamen decebit, si tali casu Episcopi eorum officium exerceant in reconciliandis ecclesiis regularium, quantumvis exemptorum, & Joan. Stephanus ex illustri familia Agationum Vercellen.

21 † Episcopus Astensis in Ordinarii loci legitima à civitate, & diocesi absentia requisitus pro reconciliacione ecclesie monasterii S. Pauli Ordinis Prædicatorum Vercellen. humani sanguinis effusione polluta, ab eadem civitate Asten Vercellas pro ejusdem ecclesie reconciliacione se transtulit, illamque præsentem Vespasiano Agatia Abbate Abbatis B. Mariæ de Abundantia Geben. diocesis, ejus consanguineo, & me, una cum maxima cleri, & populi multitudine, sub die 18. mensis Novembris anni 1601. reconciliavit, gratis, sine aliqua procuracione viatici, nec tam eundo, quàm stando, sumptuum etiam cibariorum subministracione, peragendo functionem, quæ bonum, & pium decet pastorem in beneficium ecclesie dicti † ordinis mendicantium, qui sit. paupertatis merito pluribus gaudet privilegiis, de quibus plenè scripsit Alphons. de Casa Rub. in compend privilegi. Frat. Minor. & Mendic. portorum.